TILICIOMNEMA
PIIS MANIBVS
ILL^{MI} AC REV^{MI}
PETRI TILICI
EPISCOPI
CRACOVIEN.
DVCIS
SEVERIEN.

A

SEBASTIANO MICZYNSKI
Art. Lib. Magistro, & Philosophiæ Doctore
factum, ac consecratum

IV. Idu. Sextil. CIↃ. IↃC. XVI.

CRACOVIÆ,
In Officina LAZARI, Matthias Andreouien.
excussit A. D. 1616.

Sic ſtata Fatorum ſeries ſanxit.



Aſtra Polo lucent humanis vſibus: alma
Terra Polona tibi LIPSCIA RASTRA Solo.
Quid dubitas? inſtar Solis Virtute coruſcas
LIPSCI; hic te RASTRIS alta ſub aſtra vehit.
Quod diſcrimen erit, RASTRIS Aſtriſq;? Reuelle
Nempe pedē RASTRIS ASTRA ſerena vides.

NOBILISSIMO
AC REV^{DO} DOMINO
D. ANDREAE LIPSKI
CVSTODI
GNESNEN.
SCHOLASTICO
CRACOVIEN. PLOCEN. &c.
ADMINISTRATORI
EPISCOPATVS
CRACOVIEN.

Domino meo benignissimo,

SEBASTIANVS MICZYNSKI
inscribo, & dico.

DVm ILL^{mo} *ac* REV^{mo} PETRO TILICIO *Episcopo Cracouien. Duci Seuerien.* NOBILISSIME DOMINE *Iusta facio, veroq; Parenti nostro parento, memoriam* PIIS MANIBVS *eius, monumentis ingenij mei factam in lucem emitto. Reuera enim virtutes eius diuinas, nō est æquū pati (dicam hoc cum Horatio)* impune carpere liuidas obliuiones, *ne sit* Æquali in famâ virtutis amator, & hostis.
Præterea hoc ipsum facio in vsum BONI PVBLICI:

quia multorum animos succendo, ad virtutem eruditionem, præclara facta, amorem Patriæ, dum eis talium viuum exemplar præcino. Scilicet

——— quemq; trahit fax mentis honestæ, *ad nomen immortalitatis. Cæterum dum id facio, laudes an lacrymæ sint nescio; sed* TILICIO *fusæ, & in tuum amantis, ac lugentis sinum, ab hac primâ causa: quia* TILICIVS *tuus fuit, &* TV TILICII. *Cur ille tuus? Heroëm illum, qui te quàm florentissimum semper esse voluit ob diuinas virtutes, & amorem in Rempub. amasti, æstimasti, suspexisti. Cur tu illius? vicissim ille Tuam* STIRPEM, ERVDITIONEM, VIRTVTEM, DIGNITATEM *adeò amauit, & coluit, vt te vnũ inter Executores Testamenti sui fecerit. Sed addo & aliam.* GRATIAS *à priscis sapientibus iuuenes memini fingi; & memoriam facio benignitatis, quam mihi vltro exhibuisti. Neq; enim beneuolentiæ tuæ vestigia, in me leuiter ad exigui temporis laudem impressa; sed immortaliter ad tui nominis æternam prædicationem, & gloriam. Quare Nobilissime Domine accipe hoc* TILICIOMNEMA *velut animi cultusq; mei in te pignus; accipe etiam me in tutelam, & ad maiora promoue, attolle, dirige aurâ beneficentiæ tuæ. Ego quicquid est in me ingenij, quicquid virium, in vsum, in cultum, laudemq; Tuam, & Tuorum consecro. Deus Hominesq; testes sunto; & ille Tutorem se porro tuũ: isti fautores in æuum præstent. Crac. è Musæo meo IV. Non. Sextil.* CIↃ. IↃC. XVI.

Grati simus in eius morte decorandâ, cui nullam iam aliam gratiam referre possumus. Cic Phil. ix.

LVctum publicum ferali Pompâ Viri Nobilissimi, non more, sed mœrore, & affectu pio in morte Ill^mi & Reu^mi Petri Tilicii Episcopi Cracouien. instauramus, dum iusta soluimus; & verè

——— *Diuini ossa Parentis.*

Condimus

terrâ; simulq; quicquid nobis lætum, aut volupe fuit. Reuera enim, à leto huius Magni Herois omnia læta videntur nobis adempta. Bruti primi Consulis Romæ: & Boleslai primi Regis Regni nostri olim in Poloniâ obitus quasi vnius anni funus, & luctus fuit: nobis hæc Iusta magnis heu Tilici vnius Manibvs debita erunt non *Sollennia*, sed *Perennia.* Scilicet, & abitus ipsius à nobis æternum est ô Sarmatia tibi, æternum nobis funus. Hoc Diuina eius virtus: hoc animi rectitudo: hoc pietas in Patriam: hoc

Poscit & Antiqvis Moribvs apta fides:

hoc deniq; merita in *Bonum Publicum.* Vixit ille;

& vtinam diutius vixiſſet? Vir enim fuit: immò Heros fuit, quem aut omnibus ſeculis naſci oportuit, aut nunquam denaſci. Sanè ô *Patria* meâ in tuo diſcrimine ſuum diſcrimen cenſuit; ſuam ſalutem in tuâ ſalute: propter te non excubias modò egit, ſed etiam toties laterum oppoſitus: Academiam noſtram contra omnes aſſurgentes inſultus propugnauit: nos alios amauit, aliis benè fecit, benè voluit. O deſiderium extincti! virum certè, virum ab aureo æuo, in quo cum priſcâ doctrinâ, priſca religio, priſci, & aurei mores, amiſimus. Religio quidem illa ex ſenſu, & ritu veteri, aſſertorem, & defenſorem: Sarmatia in rebus afflictis ac penè proſtratis fulcrum, & ornamentum: Clerus Epiſcopum: Senatus propugnatorem: Equeſtris ordo patronum: Academia Cancellariũ, & tutelare quoddam Numen: TILICII nobiliſsimæ ſuæ gentis Columen, & Lumen: nos alii tutorem: alii inſigne virtutis, & Prudentiæ exemplar. O fallaces ſpes noſtras, & incerta vota! Siccine optimos.

—— *quosq; rapit dura inclementia fati?*

Scilicet hoc vnum reſtabat attritis infelicis Sarmatiæ rebus, vt PETRVS TILICIVS, in quem intuens omnium quas excepit acerbitatum deponebat memoriam, acerbâ atq; inopinâ morte caderet. Et ecce cecidit, Gente nobiliſsimus, famâ optimus, ani-

mo præstantissimus; sed etiam virtute, eruditione, dignitate maximus, & clarissimus: talis & tantus heu cecidit! libertatis amator & *Boni Publici*, à primâ iuuentâ magnus in omni re, consilio, virtute, cecidit.

Luctus iungite luctibus:
Fletus addite fletibus:
Planctus nectite planctibus;

& reddite ei piâ memoriâ vitam, qui pro nobis attritus laboribus vitâ orbus iacet. Pietas fidesque exposcit.

Flebile Supremi funeris officium

mesta voce, stiloq;. Ego facio re, ac verbis; & quem viuus suspexi, è viuis expuncti MANES piâ memoriâ prosequor. Haud fas quidem lugere, & dolere in morte talis, & tanti viri, quem

——— *ardens euexit ad æthera virtus;*

præsertim cùm hoc ipsum sic à PROVIDENTIA, & Fato, cuius prima lex est: *Stare decreto*: sed tamen vulnere tam graui accepto in tam dubiis, & formidolosis nostræ Sarmatiæ rebus, immanem quandam duritiam esse reor, non flere, aut moueri. Virorum enim Illustrium, & Magnorum, quorum vita vtilior visa, mors nunquam non acerba videri potest: vt potè in quorum salute & vitâ, salus vitaq; *Boni & Publici & Priuati* sita. Et hinc ego do la-

crymas,

crymas,ab animo veluti fonte,do laudes magni doloris indices; sed ita do,vt hunc ipsum luctum,atq; dolorem, gratâ breuiq; commemoratione virtutum, ac laudum nostri ANTISTITIS TILICII in vobis leuem. Profectò enim,non tam à nobis ablatus, quàm ab Æterna & Supremâ illâ VITA euocatus videbitur, ad meliorem vitam. Namq;

Virtus recludit immeritis mori
Cælum.

Ergo iam VIRI NOBILISSIMI adeste; mentem afferte & fidem: illam pronam; & istam promptam: adeste vos quoq; MANES gloriosi, & vocis meæ pietatem, quâ facio funebrem repentinæ laudationis honorem excipite.

A lacrymis ordior, & præficam lugubri carmine Musam ipsam facio querulâ voce, immò hornâ voce *Næniam* facio.

Musa sume lyram doloris vdo
Plenam murmure: tibiamq; prome
Aptam lugubribus Sacris, modisq;.
Quippe delicias Loquella suetas
Odit; & Pietas obire gratæ
Mentis officium iubet. Dies hic
Haud est lætitiæ: est feraliorum
Atrâ imagine vulnus, atq; funus.
Heu! magnum, miserum, atq; luctuosum
Funus.

Funus. TILICIVS PETRVS *virorum*
Ille Maximus, Optimusq́; Mystes,
Antistes tuus, vrbs Beata Craci,
Et Custos Patriæ, Paterq́; verus,
Publiciq́; Boni vigil Senator
Occidit. Sophiæ decus vetustæ
Et Suadæ cecidit. Parens ab æuo
Prognatus veteri, ipse moris, atq́;
Virtutis veteris: vetustiorum
Gnarus artium, amansq́; ritè veri,
Et sensus Fidei vetustioris.
Duram ô præcipitis necessitatem
Fati! quæ violenter æuiterni
Carpit exuuias viri. fuisset
Cuius hîc honor, & beata cura
Priuatis simul esse Publicisq́;
Rebus præsidium: bonos tueri:
Malos opprimere: ac fouere Diuas
Fontis Castalij, Diamq́; Themin.
Occidit columen decusq́; Regni,
PETRVS TILICIVS: *dolete Ciues*
Ciuem perdidimus, Reiq́; fulcrum
Publicæ. Fuit ille dignus annis,
Quos fertur placidos obisse Nestor:
Quos Titonia computat Senectus.
Quis desiderio pudor modusuè

Sit cari Capitis, viriq; magni?
Largo proluitur dolore pectus,
Et sulcos lacrymæ replent, piumq;
Laborem violant. Quid ergo? Cesso:
Non totum lacryma hauriet dolorem.
Vos mecum querulam mei Poloni
Vocem fundite. Triste nempè nobis
Funus TILICIVS PETRVS *virorum*
Ille Maximus, Optimusq; Mystes,
Antistes tuus Vrbs beata Craci,
Et Custos Patriæ, Paterq; verus.
Publiciq; Boni vigil Senator.

Sed induciæ paulisper doloris sint, dum infelici eloquio, quale obsitum singultibus pectus solet eliquare laudes pango, veluti ex vberi messe pauculas spicas in solatium. PETRVM TILICIVM dum nomino, totum noscit, quisquis audit: quia sine titulo magnus fuit, & talis tantusq; vt esse apud omnẽ posteritatem pergat

imprimis; sed magis STIRPE, ERVDITIONE, VIRTVTE, DIGNITATE.

Stirpe dico: quippe interest, & de iis talibus spes omnino maior meliorq;, qui ab hac meliori & præstantiori, dum origo nescit deficere quæ consueuit radicitùs pullulare. Non defecit in nostro TILICIO.

Etenim

Etenim nobilissima Gente Vieliciorum ortus, & nobilissimis atque optimis parentibus ANDREA WIELICKI, & HEDVIGI BIELSKA natus, sub tempus exoriētis Solis instar Solis in Polonia luxit, & acceptæ à maioribus luci, tantā lucem, suâ addidit luce, vt nihil ab ipsis accepisse omnia attulisse videatur. Remotâ inuidiâ, Posteri magis hoc dicent, vix crediturі canescentibus demum *Naturæ* annis tantum virtutis decus affulsisse; sed enim affulsit, & exemplo ostendit omni æuo nasci viros bonos, & viuere. Neq; id difficile fuit. Videlicet ab ipso ineuntis æui flore, accesit illi diligens & recta institutio, radix atq; crepido cui firmiter, id quicquid est reliquum vitæ, insistat. Alta indoles eius iam tum alta spectauit & honesta. Namq; aptus per ætatem, honestis disciplinis operā dedit, quibus vnaq; pulchris moribus diligenter domi excultus, Cracouiam missus in Academiam matrem virtutum scientiarum & elegantiarum, aut sedem, non in lusibus, iocis, ocio, (vt modernum solet vulgus) sed rebus in seriis, animi contentione, labore florem æui transegit. Tradiderat hîc suam illam ætatem rudis adolescentiæ formatoribus doctis, vt fingentium quodam modo sequeretur manum, in varias virtutum ducentem formas. Non puduit ipsum paulisper se demittere, vt semper excelsa teneret:

1543. XVI. Calen. Iulii iuxta Corrects. Calen.

 non

non parere, vt ſemper imperaret. Indignus alto qui nunquam ſe demiſit: qui nunquam paruit, imperio indignus. Non puduit inquam ipſum parere viris optimis, ac doctiſsimis; & non ſeruilis aliqua formido: ſed cultus honeſti filiale iuuenis exprimebat obſequium. Hinc illa in virtute, & literis aſsiduitas, vt cui non dies ſolùm, ſed horæ, ſed puncta appenſa ſemper, & numerata fuêre. Non ardorem ſibi, non induſtriam alter præripuit. nititur cõnititur eouſq; æmulus, donec & ipſe æmulandus extiterit. Inter ſui ſimiles, ſemper diſsimilis, vt laboris ſuſcepti alacritate: ita honore virtutis perceptæ. Creuit in eo cum ætate doctrina, & virtus, quò ſenior eò perfectior. Etenim hîc in hoc publico doctrinarum epulo

——————quæ natura negauit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit

id eſt ſcientiam de natura, temporum ratione, ſitu terrarum, populorum inſtitutis, ingeniis, moribus: ius vtrumq;, hiſtoriam ſacram, & profanam, nouam, & veterem, domeſticam, & externam: hauſit, rationem vitæ formandæ, gubernandæ Reipublicæ, dandorum, & capiendorum magnis de rebus conſiliorum. Deniq; illam cui hæc omnia alliges Diuinam Theologiam; & ex his omnibus, experientiam penu virtutis, & prouidentiæ, quam alij

ſeris

——— *seris mercantur ab annis.*

Et quis in eo hæc quæ dico, dum viueret, non vidit, nisi cui in claro & illustri Sole meridies est noctis? Fuit in eo iuuene, sed iuuene viro varia doctrina: fuit virtus matura semper, & planè virilis: vt ætatem quodam modo in sua desideres ætate, floremq; vltra floridũ stupeas seculum, ob Pietatem, & Probitatem vtrasq; singulares, vtrasq; eximias. Prior mehercle in corde magis ipsi fuit quàm ore; nec enim purum & mysticũ Religionis nostræ Catholicæ liquorem corrupit veteri aliquâ, aut nouâ olenti fece; sed à maioribus hominibus religiosissimis ante doctrinam hanc spernentem diuos, natis acceptum puro, pioq; sensu, ac ritu coluit, & Numen Diuinum non solùm adorauit; verùm & adornauit laude, prece, cultu: idq; prisco more. Posteriorem verò factis magis quàm specie exercuit: nihil opinionis causa, omnia conscientiæ fecit:

——— *Turpi secreuit honestum,*
Non verbis, sed re, sed vitâ & pectore puro.

Rectus ille semper, & indies sui similior: nihil nisi arduum, nisi excelsum, speiq; plenum cogitauit. Talem reuera esse oportuit, quem non fortunæ cæca varietas, non iudicium vulgi mobilis, non erronea alicuius autoritas, sed Coelum ipsum, ipsa Natura virum Reipublicæ procreasset. Et iam tum in ipsâ iuuentâ Magni Senatoris elementa exhibuit:

dum ſibi virtutis aſsignaret curricula ; dum Reipublicæ cogitaret præſidia : dum ætatem ætatiſq; exueret ſtudia, ſe Ciuem Patriæ optimum paraturus. Magnum certè florenti dedecus ætati præclaro hoc exemplo impreſſum eſt, cum iuuenis ingenitos impetus, frenauit iudicio : temeritatis aculeos, conſilio repreſsit : feruorem iuuentæ, maturitate reſtinxit : virilibus artibus, ignes iuueniles ſopiuit : in ijs deniq; quæ id æuum abripere vulgò aſſolent, animum prætulit ſenilem. Deum immortalem quanta in hac ætatis intemperie temperantia! Non vis eum aliqua, non ſupplicij rexit formido, non diſciplinæ iugum impoſitum : animus generoſus cum duci ſe patitur, trahi non patitur. quid ergo? bona mens, ratio recta, & à Deo directa, à Fide illuſtrata, quam ille vt Theſeium ſecutus filum domuit cupidines, & exultantes animi motus : illecebras libidinumq; fomites reſecuit : inſidias illius blandæ Dominæ *Voluptatis* dico, cauit ac fugit, vnaq; Acheloidum cantus, veriſsimum illud ratus : *Animo per libinem corrupto nihil honeſtum ineſſe.* Atq; ita per inculta vepribusq; horrida loca, contendit ad arcē *Continentiæ*, ſeq; purum in iuuentâ ſeruauit, purum in omni ætate. Pondus mihi & autoritas ab ipſiuſmet verbis ad ſuos frequentibus eſto : *Olim & nunc continentia rara & à quâ non affectu duntaxat aut*

Tacit. xi. Ann.

aſpectu

affectu pleriq; abeunt, sed specie etiam virtutis; praesertim in his regionibus nostris vbi immanis ingluuies dominatur; rara inquam sed cara & insignis virtus. Expertus cùm iam id ætatis sim dico: quisquis

Integer vitæ scelerisq; purus,

præcipuè incõtinentis fœminarum gregis annum ætatis vigesimum attigerit, hunc reliquo totius vitæ suæ curriculo securiorem futurum ab hoc Circæo poculo, & alta atq; Diuina semper cogitaturum, quæ mortalis attingere non potest, nisi omissis corporis gaudijs, quæ propria libidini, in sordidis cogitationibus, & in cæno suo hærenti. Ab hac scaturigine magnus illi animus, & facere, & pati fortia paratissimus: quem nulla vnquam fortuna aut extulerit, aut depresserit; quem etiam Reipublicæ vt illius limẽ attigit largiendum censuit. Nec frustra ab eo expectes messem qui in vere iuuenili fecit sementem. Sementem dico *Virtutis* & *Doctrinæ*: quod hæc sine illa damnosa; illa sine hac parum decora, aut ornata; Iam enim in ætate maturiori contulit se in eum locum vbi veluti in amplissimo theatro sua virtus excurrere probariq; posset industria. Serenissimi Sigismundi Augusti Regis *Aulam* intelligo, quæ fuit optimorum ingeniorum campus, palestra eruditionis, studium gloriæ, Lydius lapis virtutis, ac constantiæ; & hic redituum publicorum rationibus incubuit gnauiter,

& dili-

& diligenter cum amore ac veneratione omnium, & commodo *Ærarij Publici.* Vixit enim, & munus ſuum obiuit abſq; ſuſpicione auaritiæ, aut querela. iuxta illud ad immortalitatem glorioſum: *Omnibus prodeſſe: nemini nocere:* Rem breuiter noto. Cuiuſdam vitâ functi, bona fortunaſq; florentes à Rege ſibi Caduco iure (vti vocant) meritò data, querelas, & notam auaritiæ fugiens, iam accepta reſtituit ijs, ad quos minùs pertinere videbantur: ratus non eſſe pulchrum, aut commodum alienis diteſcere incommodis. Ita me Deus amet, hæc virum olent, immò Heroëm. Vno verbo, vix alium tantâ indole, aut virtute Polonia noſtra habuit. Altè hoc imprimite, quoſcunq; talium aſsidua excoquit cura; & hominem ſupra homines poſitum ne detrectate imitari. Non iurè ſic loquar? Altus ille in hac, altus in omni virtute. Pompa, & ambitio pleroſq; ſæpe abducunt; præſertim in ſecundo rerum humanarum curſu, ætate, ingenio, nobilitate, gratiâ Principum; & quod Poëta ait.

——— Nos vilis turba caducis
Deſeruire bonis, ſemperq; optare parati
Spargimur in caſus.

Ille in virili iam flore diuina quadam celſitate præditus, iſthæc puncto temporis vniuerſa deſpexit, repudiauit, abiecit; & vt nihil, niſi ſummum eligeret

Sacra

Sacra placuêre, ſanctiſq; Altaribus purum admouit Sacerdotem adſcriptus in ampliſsimum Collegium Canonicorum Eccleſię Cathedralis Cracouien. quod eſt Seminarium Epiſcoporum. Quo porro conſilio id fecit? eo ſanè vt per eam vitam, quæ à mundo, & mūdanis abſtrahit, ad cœlum & cœleſtia aditum haberet, & Patriæ commodiùs prodeſſet ſuam operam depoſcenti. In hoc munere atq; dignitate pie, continenter, iuſtè, atq; adeò ad nornam integri perfectiq; Sacerdotis vixit, vt nomen priùs, quàm quæſiuit, inuenerit. Profectò hîc iam in clara luce occœpit

——————— *Virtutem extendere factis;*
& per templum *Virtutis* ad templum *Honoris*
Quò ſe Cœleſtis Sapientia duxerit, ire.

Namq; ad virtutem natus, virtutem coluit, vitæ finem huc direxit, & viuendo peruenit, vnaq; per eam gradatim ad varios in Republica dignitatis honores. Vidit Diuus Stephanus Batthoreus bona ipſius cum eum coram vidit; vidit dignitatem corporis, eloquium oris, animi prudentiam: ſtatimq; *Aulæ* ſuę in numerum *Secretariorum* adlegit; & paulò poſt *Maiorem* Regni *Secretarium* fecit: vbi & huic, & Sigiſmundo Tertio poſt hominum memoriam optimo, maximo, cæteriſq; Principibus viris, ob diligens in expediendis Regni, Regiſq; nego-

tiis, & legationibus officium, ita fuit carus, vix vt quisquam vnus vni carior foret, quàm ille vnus vniuersis. Vsus enim acri circumspectione, & non suâ se, sed Principis fortunâ dimensus, omnia egit sine iactantiâ, & retulit ad vsum Regni, ad vsum & famam Principis. O boni lubrica vestra vita, & via est, nisi sic agitis, qui in *Aulâ* versamini. nihil rerum mortalium tàm instabile, & fluxum est, quàm potentia non suâ vi nixa. Firma & stabilis fuit in nostro PETRO TILICIO, quia ipsum ad maiorem dignitatem euexit, & *Referendarium* Regni creauit. Vbiq; ille vigil, & diligens in suo officio; sed hîc etiam æquitatis iustus arbiter, & pauperum egregius tutor; siquidem in causa, aut oppressione eorum cum Præfectis, & plerisq; Magnatibus inimicitias suscepit; & suâ fidẽ Regi, atq; omnibus Ordinibus, cum maximâ gratiæ, & beneuolentiæ significatione tantoperè probauit, vt summis quibusq; honoribus dignus iudicaretur. Et obtinuit. Creatus enim *Procancellarius* Regni, *& in Episcopam Culmen.* euectus, simulq; in *Sanctius consilium* ac *Senatoriam dignitatem*, consilium, & leuamen fuit, Regi, Ioui illi, vt sic dicam Pallas, atq; *Bono publico* Custos. Graues hîc vtrimq; feriæq; ipsius curæ: quibus tamen cùm suâ in rebus agendis dexteritate, tùm consilij prudentiâ respondit. Munus enim Procancellariatus la-

boriosum,

boriosum, addam & inuidiosum; & in quo non dicam gratiam mereri; sed odium vitare, difficile est, multos annos ita sustinuit, vt industriam fidemq; Regi suam probauerit; & communiter omnibus integritatem, animumq; ab omni labe, aut corruptelâ immunem. Nimirum

Iustitiæ cultor, rigidi Seruator honesti,
honestum ———————— *prætulit vtili,*
& *Reiecit alto dona nocentium vultu,*

Mirum & breue, sed verum est: nulla re (ad vsum prouoco) quæcunq; Respublica magis floruit, floret, florebit, quàm immotâ iustitiâ: nulla re magis flaccescit, & deficit, quàm illâ tali. Hanc noster TILICIVS diligenter seruabat, & iudicia, iusq; sui officij tàm exquisitè, sedulò, & pertinaciter exercebat, vt eum inter iudicandum cibi potusq; caperet obliuio; Collegasq; suos (Assessores appellant) aut totum diem detineret, aut fame victos, ipse inuictus compelleret abire. Quid multis? Publica famæ voce, res Sarmatiæ administrabat, tàm abstinenter, quàm alienas, tam diligenter quàm suas, tam religiosè, quàm publicas, & quæ *Sacrum* illud *Nomen Patriæ* tangunt. Neque verò in tantis Regni negotijs officium boni *Pastoris*, aut curam gregis sibi commissi neglexit; sed ita expleuit, vt ab hoc in

Varmien. & *Pomesaniæ* Episcopatum transierit. Nunquam ignaua aut deses est virtus: nullæ ipsi à præclaris actionibus feriæ: nullæ nostro TILICIO. Statim hic pietatem cultumq; Diuinum auxit: Catholicam Religionem multis in locis, à quibus exulabat restituit: vigilantiâ, doctrinâ, vitæ sanctimoniâ, instar Herculis capita renascentis Hydræ, id est sensuum qui sunt ab Orco resecuit: disciplinam stabiliuit in Clero: bona sua, & exercendorum munerum suorum facultatem Ecclesię ministris reddidit: multorum animos, qui nutabant confirmauit; at simul quoq; sibi campum aperuit, ad maiorem *Honoris* dignitatẽ. Scilicet enim ab hac Episcopa Varmien. *Præposituraq; Miechouien.* quam ob res in Liuonia à Carolo Sudermaniæ Duce turbatas, in subsidium tenuit, in Wladislauien. & Pomeraniæ, ac demum in Cracouien. non ambitu, non largitione, sed propriâ virtute translatus est. Et quidem quod ad laudem eius magnum, ad honorem splendidum, illustre ad gloriam, eâ omnium alacritate, approbatione, gratia, vt ante totius Sarmatiæ præiudicio, omnium Ordinum votis, omnis populi Poloni propè dixerim suffragiis, Episcop9 Cracouien. & Dux Seuerien. fuerit, quàm Pontificis maximi iudicio, Regis prudentissimi voce declararetur. Reuera enim fuit Hercules, siue Atlas, qui fulciuit

Pauli V. Sigis. III.

Sar-

Sarmaticum iſtud Cœlum vtriuſq; Reipub. Sacræ & profanæ. Vidimus eum vidimus, vt Numam aliquem, aut Lycurgum Sacris humaniſq; rebus, pacis belliq; artibus, mixtum ac idoneum: & in duplici munere, feliciter ac induſtriè, omnia ſic, vt in vno alius, obeuntem. Sanè verò quis neſcit, noſtrum TILICIVM per plures annos in omni Diœceſi ſua Sacra & Religionem direxiſſe, defendiſſe, propagaſſe: idq; eâ curâ, induſtriâ, prudentiâ, vt exemplũ, à nemine accepiſſe, poſteris tradidiſſe, ab æquis peritiſq; arbitris iudicetur. Etſi arbitrio aut teſtimonio quid opus? res ipſa vociferatur, & tota Sarmacia, quæ confuſa ante, aut tenebroſa, vbi PETRI TILICI ſibi lumen affulſit, mutata in melius, antiquã pietatem, ſpondere ſibi ſemper auſa. Etenim Religionem Catholicam Romanam *in cuius gremio mori feliciùs eſt, quàm ab initio naſci; cum non naſci ſatiùs ſit, quàm in hac non mori.* fortiter, & conſtanter iuit aſſertum, ac propagatum aduerſus impuros Hæreſeos fœdiſsimæ Gigantes, dum conatibus eorum nefarijs, cum vbiq; tum vel maximè in Comitiis acriter obſtitit, fœderis initionem diſuaſit, audaciam repreſsit, ferocitatem inuicti animi robore fregit. Amplius: omnia ſummo ſtudio fecit, quæ ad boni & inculpati Paſtoris, ac Præſulis officium pertinent. Namq; ad præſcriptum *Concilij Tridentini*, omnia

E teſtamento Ioan: Zamoſcii virii incomparabilis.

 reuo-

reuocauit: omnē penitus munerū Eccleſiaſticorum ſuſtulit nundinationem: diffluentes Clericorum mores, ſeueris coercuit legibus: refrenauit libidines: cohibuit luxuriam: expulit nequitiæ inſtrumenta: Religioſorum cœtus correxit, & auxit: Xenodochia Scholaſq; erexit: Aras, & templa inſtaurauit, aut noua inſtituit. Vis maiorem fidem? Ampliſsima & ſumptuoſiſsima *Ædes Coualien.* in laudem Dei Diuorumq; exſtructa, & magnificè dotata loquitur. Loquitur (vt alia taceam) & hoc Sacellum; imò tota *Eccleſia Cathedralis Cracouien.* interiùs, & exteriùs, ſplendidum ad nitorem reſtituta, an dicam reſtituenda? magnam ipſius in Deum pietatem, magnum, & feruens in Religionem ſtudium. O vos qui gradu illi ſimiles idem ſapite, idem facite. Religionem Catholicam vnam, à qua eſt vinculum rerum, & *Societatis Publicæ* (nam ab innouatâ diſsidiorum faces, & Sceptris periculum, aut interitus) aſſerite. Sic enim beneficum illud *Numen* propitium experiemini, quod noſtro TILICIO ſemper adſtitit, amicè rexit; etiam externâ iſtâ felicitate auxit: quia & ipſe ſimul cum *Pietate* verâ, *Patriam* ornauit, defendit, auxit. Reuera enim ratus

Vnum Augurium optimum pugnare pro Patria.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης:

ſeq; Reipub. eſſe autumans, non ſuam Rempub. nihil ſalute Patriæ antiquius eſſe duxit, ac omnium

noſtrum

noſtrum vitam ſuâ induſtriâ, ſartam tectam ſeruare ſtuduit; & illud quaſi in fronte impreſſum gerens: SALVTEM POPVLI LEGEM SVPREMAM eſſe, legum integritatem, & veræ libertatis ſecuritatem, vitæ ſuæ anteposuit. Diuinitas profectò quædam fuit hæc in eo dignitas Senatoria, quam ſuſtinuit cnm fauore, laude, plauſu. Namq; fidus, rerum hominumq; peritus, ſalutaria ſuggeſſit *Pace* ſiue *Bello*, cum neq; prauâ ambitione in dicendâ ſententiâ blandiri potuit, neq; *Spe*, aut *Metu* à recto, & honeſto deterreri; ſemper inquam ſalutaria ſuggeſſit.

Nam conſulta Patrum, nam leges iuraq; ſeruans ad mentem Demoſthenis, *dum nauis Reipub. fuit ſalua, promptè conſuluit, & prouidè*: seriò, & non properanter: *bona* enim *conſilia morâ valeſcere* ſciuit. (Philip. 3. Tacit. 1 Hiſt.) Meherclè verò fortis apud eum non obnoxia ſententia, quod magnum in Senatore atq; vtile munus, vt ad mentem Solonis Συμβουλῆ μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ κάλιστα. (Conſulat nõ ſuauiſſima ſed vtiliſſima.) Ipſe fecit, ſed conſtanter, quia vacillatio, ſententiam mutantium eſt certum ſignum incertæ mentis: nunquam tamen, vt verbo dicam, curſum eumdem tenuit, ſed portum, qui eſt *Salus Publici Boni*. Prudens Nauclerus non ſemper eò dirigit nauem quò curſum inſtituit, ſed quò tempeſtas cõcedit: Noſter idem ſemper ſpectabat, ſed vela conſiliorum ſuorum ad flatum temporum componebat.

bat. In hoc verò vel maximè excelluit, quod procul ab eo fuerit rei suæ studium, vtpotè qui censuit, præcipuum veri iudicii venenum, atq; interitum Reipub. *suam cuiq; vtilitatem*, Docuerunt Athenæ olim sub triginta Tyrannis afflictæ: Docuit Polonia bis sub duodecim Palatinis;

Dum sua quisq; petit, sua quærit.

Paucis dico cum multi certamen plerunq; adulationis certent, adeò vt *Placentini* aut *Laudenses* ferè totum hoc genus, pauci *Veronenses* noster TILICIVS inter eos fuit primus, & Princeps in *Quiete*,
1607. Quid in *Motu*? etiam hîc Patriæ, boniq; Publi-
1608. ci integritas, & Salus, ipsi scopus. Motum vidimus nostra ætate ciuilem: vidimus

——— ——— *parentes*

Lucan. lib. 6. *Frontibus aduersis, fraternaq; cominus arma Cognatasq; acies:*

Vidimus postea milites in omne fas nefasq;, aui-
1612. & dos, aut venales, similes Harpyiarum, non Sacro
1613. non profano abstinentes: vidimus homines quosdam maioris animi, quàm consilij, vno veluti filo appendisse *Publicam Salutem*; & omnia sic turbasse, vt pars consilij censeretur, non se miscuisse consiliis, miscuit se noster TILICIVS mente, linguâ, factis, ac iunxit gregi suo, id est bonis, Regiq; suo; & in subductione, aut quiete aliorum, manum ad cla-

ad clauum porrexit; *ſed cum hac lege vt conſilia ſua, Pacis & Togæ ſocia, non belli atq; armorum eſſent.* O virum! O ciuem! Poſt illas tempeſtates, ſuo conſilio magna ex parte,

——————— *diſiecit nimbos Solemq; reduxit.*

Felicem res ſortita finem, totius belli ſtamen, ac ſubtemen, eius prudentiâ abruptum eſt, & motus ciuilis incendium, Salute Patriæ reſtinctum. Iſtud profectò eſt, iſtud verè ſapientem eſſe. exercere, & oſtendere in Sole, atq; opere quæ aliis in vmbra & ocio diſſeruntur: hoc decus eſt æternum, ſeſe vulgi ſenſibus ſubductum

Stellis inſerere, & conſilio Iouis.

Et fecit mehercle noſter, cum ſuâ propemodum Diuinâ prudentiâ rerumq; vſu, tùm incredibili eloquio. Quod enim Homerus de ſuo Vlyſſe ego de illo Τȣ̃ καὶ ἀπὸ γλωττης μελιτὸς γλυκίων ῥέεν ἀυδή. Teſtes vos appello Senatores optimi, teſtes & vos Equites Poloni qui publicè, & priuatim multis abhinc annis in ſermone congreſſuq; iucundum & ſuauem: in grauibus rerum deliberationibus pondere ſcientiarũ imbutam, copioſam, ornatam, profluentem orationem eius auribus excipientes ab ore, cum voluptate, atq; admiratione pendebatis. Teſtem te Sigiſmunde Rex Sapientiſsime, qui ſententiam dicentis ſumma cum attentione excipiebas,

Huius ab ore melle dulcior fluebat oratio.

bas, & omnia Reipublicæ ſeria negotia ex conſilio prudentiſsimi inſtituebas. Teſtem te Summe Sacrorum Antiſtes. PAVLE V. Pontifex Romane qui perſpectam habens eximiam TILICI vitæ integritatem, perpetuum Eccleſiæ purgandæ ſtudium, labores in extirpandis Hæreſibus ſuſceptos, animum deniq; nihil niſi de Deo, & vtilitate publica cogitantem, Apoſtolicâ & paternâ admonitione eum compellabas, etiam nunc in extremo vitæ ipſius puncto, vt ſingulis deliberationibus, & Comitiis adeſſet, diligenterq; videret, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Verè illud vſurpem de ipſo

Effictus ex Ioue ramo.

——— ——— Πεπλάσμενον ἐκ Διὸς ἔρνος.

Gratiarum ſacra propago.

Et illud Siculi Vatis: Χαρίτων ἱερὸν φυτόν

Omnibus virtutibus excultus.

Quid ni? fuit παντοίῃς ἀρετῇσι κεκάσμενος; & in quem vt Zeuxis in ſuam Venerem, aut Phydias in Clypeum Mineruæ natura contuliſſet, quicquid rari vſquam, & vnquam ſortita. Etenim ad has virtutes Heroicas, acceſſerat, & illa Diua, quæ lenit, & ſeruatum it, eos ipſos qui ſe perdunt. Plerumq; læſus pulchrum cenſuit, parcere afflictis,

Et abſtinere, tempus atq; iræ dare.

Nullius rei faciliùs obliuiſcebatur, quàm iniuriarum: fuit hæc quodam modo propria eius vindicta, hoſtes beneficiis ſuis cumulaſſe; & ſi aliquando, vltionem ſibi ex aliquo ſumendam eſſe putauit,

non

non vlteriùs progressum esse, quàm, vt qui offendisset, intelligeret se offendisse. Fortunam magnam, magnus decet animus, cuius proprium est placidum esse, tranquillumq́;, & iniurias, atq; offensiones, supernè despicere. At hic simul magnus erat æquitatis amator. ius enim, & æquum, in se inq; aliis, firmiter seruauit, & illud barbarum à barbaro: *In magnâ fortuna id æquius, quod validius*, semper spreuit, solaq; credidit licere sibi laudanda; quia vt sapienter Tragicus vates Tacit. 15. Annal.

Minimùm decet libêre, cui nimùim licet.

His succreuit illa, quæ rara Magnis pedissequa Modestia, (cum in altâ fortunâ non abripi licentiæ ventis difficile sit) illi tam familiaris, tamq; amica, vt meritis, virtute, dignitate, supra omnes, suo sensu vel infra se fuerit: quia sciuit quantò quisq; plura adeptus est, tantò magis ipsum esse in lubrico; hinc nihil insolens, vel gloriosum protulit, & sensum de se suisq; temperauit; imò actionem; & sermonem, qui illi grauis, atq; paucus, sed idem prudens; siquidem omnia dixerit, & susceperit circumspectè, id est feliciter: *plerumq; enim omnia summa ratione gesta, fortuna sequitur*. Hinc cultus decens, & sobrius, cum turpe duxerit viro, laudes captare ex corpore, Δοκεῖ ἐκ θεῶν τιμὴ, καὶ χάρις συμπαρέπτει ἀνδρὶ ἄρχοντι, vel maximè nostrum TILICIVM qui Liu: lib: 5. Videtur à Deo honor & gratia

 mode-

comitarivirum principem. modestus fuit, etiam in comitatu, victu, omni suâ vitâ. Splendidus quidem erat in tractandis Publicis, & magnificus: luxum tamen gentis nostræ, & mollitiem vehemenrer reprehendebat. Sic reuera noster Episcopus modestiam habuit; sed neq; à grauitate abiuit. Illâ enim saluâ hanc, & authoritatem insertam habuit, in vultu, in verbis, in factis; simulq; comitatem, & humanitatem: illas venerabiles; istas amabiles, adeò, vt nemo sit, aut fuerit, in quem Sarmatia nostra, duplici isto affectu magis ferretur, *Venerationis* pariter, & *Amoris*. In querimoniis audiendis, omnibus etiam infimæ conditionis hominibus, ad se aditum patere voluit: neq; eos abigi, aut remoueri passus est: sed ita abire; vt multi ab eo digresi, rem ipsam quasi manibus compressam, tenere viderentur. Quid aliæ virtutes quas hîc velut stellas spargo, & defigo (sit fas ita loqui) in Supremi Capitis huius cœlo? Simile. In omni pudicitia internâ & externâ clarus: nihil fecit molliter, aut dixit: nullum verbum obscænum, nec in cubiculo quidem penitiori, ex ore eius auditum: diligenter cauebat, ne se induendo, aut exuendo, quâ minùs parte deceret, nudaret. Perplacet sanè illud ab ore veritatis viri Sancti: *Pudicitia est virtus, quæ comitem habet fortitudinem.* verùm enim fuit in nostro ANTISTITE, quia par vtriq; fortunæ fuit. Flauit, ac re-

D. August. lib. 1. de Ciuit. Dei.

ac reflauit ipſi fortuna, & ſemper

Rebus anguſtis animoſus, atq;
Extitit fortis: ſapienter idem
Vela contraxit, nimiùm ſecundo
Turgida vento.

Quisquis es, tale adama robur animi, quod ſi ſemel imbibiſti, altus, & erectus contra omnem caſum ſtabis, & vindicabis tibi illud: NON MOVERI. Iam naturâ, ac educatione ſobrius, luxuiq; infenſus, temulētiam vehemēter deteſtabatur, eamq; in omni ſtatu, ſexu, ætate, vitiorum ianuam, aut ſentinam compellans, rem exemplis ſuadebat, rationibus docebat; & ideò nunquam ipſe ebrius viſus. In diuitiis porro maius quiddam eſt, quàm imperiti ſuſpicentur, rectum curſum tenere: tenuit ille, quia prudenter ab his, mentem ad altiora natam auocauit. habuit opes, habuit

———————— *artemq; fruendi.*

Quid enim eius Magnificentiam memorem, quam Patriæ afflictæ in omni neceſsitate, aut diſcrimine, vberrimè præſtitam videbit Poſteritas in ACTIS ÆTERNITATIS? Quid liberalitatem in cœtus Religioſorum, in Sapientiæ Studioſos, in Pauperes & egentes loquar? adeò largiter, & perenniter in omnes fluxit (quamuis cum iudicio & modo, nam nimis hauriendo fontem ipſum exhauris) vt Deum

quemdam terrestrem ad benefaciēdum generi humano, è cœlo missum, veneraremur. Videte rem non verba. E Sueciâ (in quâ comes fuit Sigismundo Regi) inter alias res suas in Poloniam missas, à Suecis in mari direptas, Nauclerus surreptis bis mille sexcentis sex florenis, aufugit. cæterum tempestate ferè tres menses, in mari iactatus, tandem appulit Gedanum, sub hoc idem tempus, quo & noster TILICIVS; sed hic in littore sopitus, somnio edoctus est, pecuniam sibi restitutum iri. Res illa certa, & ista rata fuit, fidem etiam ab euentu habuit. euigilat, inquirit, reperit, & totum penitus quicquid id pecuniæ fuit, in pauperes, in Xenodochia distribuit. Nec absimilis reliquo vitæ suæ cursu fuit: nullum diem prætermisit, quin pauperibus & Religiosis suæ liberalitatis egentibus, prouiderit; hinc quasi annuum quemdam censum, quotannis, & Monasteriis, & Literarum Studiosis, & Xenodochiis, Eleemosynam erogabat; vitaq; functus, fecit erogari, quod *Fama Posthuma* gratâ memoriâ testabitur. Nec ista in gratiam aut gloriam. Deo soli, & vsibus humanis imputabat: & fructum beneficii vnum censebat, FECISSE. O rarum mirumq; virum! vt stellæ in cœlo lucent, hoc tantùm vt luceant: sic ille naturâ, & inclinatione beneficus, sine alia affectatione, aut adspectu, promptissimo, ad

opem

opem ferendam animo fuit, siue quis auxilio, siue consilio indigeret. Vidimus,& nouimus multos ab eo beneficiis auctos,ac cumulatos. Vidimus singularem eius amorem in suos. Incredibile enim est quantùm illis bene fecit,bene voluit. Cæterum in hos, & omnes domesticos, ac familiares suos,tantâ erat facilitate,ac comitate, vt communis videretur omnium parens. Cum eis familiarissimè colloquebatur, vrbanissimè iocabatur, peccantes paternâ, potiùs caritate corrigebat, quàm herili imperio. Illud verò illud, vt rarũ, ita magnum, & pulchrum, id est amorem innatum in *Bonas Musas, & scientias*, nulla vnquam annorum series delebit; cum per has iuerit ad nomen immortalitatis. Quis illas calidiùs habuit, & intentiùs? Quicquid temporis à publicis negotijs vacui dabatur, huc conferebat. Quis doctos, aut excultos literis ardentiùs amauit? Quis largiùs, aut prolixiùs fouit? Quis doctrinæ titulum in Polonia sibi inscripsit, & eius Patronum non asscripsit? Prodite vos ô ACADEMICI mei, nonné vestris disputationibus epulas condiebat, in eisq; audiendis, tempus à curis liberum, studiosissimè collocabat? Domum medius fidius suam æternum voluit esse ingeniosorum perfugium, Musarum, & Sapientiæ sedem, quia & te talem ô ACADEMIA mea, quæ religionem vnam eamq; veram

ad hoc

ad hoc æui, inter ruinas, aut lapſus aliarum, etiam inter ciuiles iſtas procellas, & communem pæne dicam Europæ furorem inuiolatam, contra omnes natos ab Orco ſenſus, aut diſſenſus in Deum, vel de Deo, Diuiſq; conſeruaſti,

Et protuliſti germine inſignes viros,
Auxilia, vel conſilia Publicæ Rei

vehementer amabat, incolumitati tuæ, atq; honori prudentiâ ſuâ, & vigilantia, tanquam ex altâ ſpeculâ, prouidebat, ne quid imminutionis, aut detrimenti caperes. Memini anno ſuperiori, eum, dum
1615. ipſius reditum à Comitijs læti lubẽteſq; excipimus, cùm multa de tuo ſplendore, & integritate retinendâ dixiſſet, hæc addidiſſe. *Ego quæ muneris mei ſunt, diligenter pro vobis excubo* ACADEMICI *mei; neq; quicquam dum viuo, aut ſpiro patior veſtris immunitatibus imminui, aut patiar: ſed agitè quoniam contra vos occulta agitantur conſilia, aut ſubuerſio, ſeriò vigilate.* Nota ô ACADEMIA, & perpende verba tui prudentiſsimi CANCELLARII: perpendè animitùs, atq; pro te continenter excuba, vt aduerſariorum infringas conatus, & feliciter floreas, quã ille quàm florentiſsimam ſemper eſſe voluit, dum & PVBLICVM ORATOREM in tuo domicilio annuo, eoq; liberali ſtipendio inſtituit. Vidit, vidit vir prudentiſsimus, *Literarum* & *Sapientiæ* inprmiſq; *Eloquentiæ*

ſtudiis

ſtudiis imperia creſcere, & floreſcere: vidit quæ, & qualis ſis, multis abhinc annis, cum hîc olim hauſit ſuauem, atq; vtilem doctrinæ liquorem: vidit internos animi tui ſenſus, in hac præſertim pertinaci, & candida aſsiduitate erudiendæ iuuentutis in ornamentum, & vſum Reipub. ſolâ ferè mercede à conſcientiâ; proindeq; dictis & factis, pro aris honore ſalute tuâ, cum liuore calumniantium, aut occultas molientium inſidias, acerrimè depugnauit. Ah vtinam plures illi ſimiles; præſertim quos Deus vicem ſuam fungi voluit in terris! non verear dicere illorum ornamento, Reipub. præſidio, id fore; & feliciùs adminiſtratum quædam iri. Sed ad meum reuenio Epiſcopum, cuius aureos mores non melius quàm Poëtæ verbis deſcripſerim;

——— fœcunda quies, virtusq; ſerena,
Fronte grauis, ſæuusq; decor, luxuq; carentes
Deliciæ:

Addo. imperatorio vultu, patulâ fronte, viuidis oculis, & ore prono in humanitatem, ac misericordiam, nobilis & notus. Totus integer, amans pacis, & concordiæ, verax, apertus, & ſine fuco,

Qualis Apellæis eſt color in tabulis,

ob ſuas Diuinas virtutes, quibus vt floridū aliquod pratum, aut Alcinoi hortus variè nitebat. Tota vita ipſins nihil niſi probitas, & rectitudo, adeò in fa-

ctis non obliquus, vt nec in verbis. Vno hoc nimius, & immoderatus, quod in se, etiam in hac senili ætate, asper, & durus. non nox curis soluta: nō laboribus dies liber: non mensa aliquâ molestiâ. Aut Sacris

Aut curam impendit Populis, aut ocia Musis.

Neq; tamen preces consuetas, cultumq; in Deum, & Diuos inter hæc negligebat. Non hîc in frequentissimis eius, laudibus, & precibus Deo fusis, pro dignitate explicandis immoror: in quibus non solùm diurni temporis magnam partem collocabat, sed etiam nocturnæ quietis. Purissima mens eius contemplatione, veluti pennis in cœlum, ita sese attollebat, vt soli Deo inhærens sui pænè obliuisceretur. Nullum diem abire passus est, quin sacrosanctum MISSAE officium summâ cū attentione, & reuerentiâ, audiuerit; aut ipse singulis diebus festis fecerit; & sanè ita, vt priùs precibus, contemplationi, lacrymis vnam, aut alterā horam tribueret. Munus EPISCOPI aliquod sollenne obiturus, pridie se inedia afflixit; immò precibus, votis, lacrymis, vt quod sanctè pieq; instituebat, ritè & feliciter exequeretur *Nomini* & *cultui Diuino* propagando; *Pietati* & *Sanctimoniæ* augendæ. Accedebat ad feruens precum studium voluntaria vitæ austeritas, vt ieiunium, & abstinentia, interioris vestitus asperitas, le-

tas, lectus in humo nuda, cùm singulis diebus morti REDEMPTORIS nostri dicatis, tùm peruigilijs Diuorum Petri, Pauli, Stanislai, Patronorum; peculiter verò DIVAE Diuarum

Quæ magni genus est Dei;
Cui Deus ipse
Imputat genus, & suam
Inscribit sibi Matrem,

cuius à primâ adolescentiâ âmorem & cultum induerat, eamq; Patronam sibi, & ducem in periculis, in molestijs, in omni vitæ cursu, felici successu elegerat. His, & anteactis omnibus *Publicis, & Priuatis* Diuinis dotibus suis, rapuit omnem *Sarmatiam*, aut potius *Orbem terrarum*, in affectum, & adspectũ sui; sed etiam neglectu quodam pio, humanorum. Cum enim ipsi in hac ætate veneranda Senili ARCHIEPISCOPATVS Gnesnen. Principatus Sacrorum, Primatus Regni deferretur, non acceptauit, non contemptu aliquo: sed Diuinorum, & cœlestium amore. Aliam ille iam tum dignitatem, alios honores, in alto & firmo illo loco spectauit, vbi *nulla serenum vmbra turbabit.* Omnia humana, minuta, magna, infima, ab omni æuo corruunt, & corruent in omne æuum,

——————— Summisq; negatum
Stare diu:

 & ideo

&ideò mentem flexerat, ad Magnam illam Mundi MENTEM, quæ nihil hîc voluit firmũ præter ipsam. Cœlo profectò, & cœlestibus mox fruiturus, cœlum & cœlestia cogitauit. ab hoc Sarcophago discite, quem vbi Episcopus Cracouien. esse cœpit, sibi superstruxit; & in eo suiipsius osculantis pedes CHRISTI IESV, Seruatoris sui, imaginem. Cæterùm cum iam diem sui abitus præsentiret Cracouiam redit, & hîc expectat quid de se Magnus ille ARBITER Mundi statuat. III. Non. Quintil. è morbo, omnem Medicorum industriam fallente TILICIO ægrè esse cœpit. Mensis Anni Iulius erat, qui calore & æstu commotior morborum periculis, aut mortalitatis damnis, solet esse, famosus. Noster licet iam ab annis vernaculâ quasi valetudine tentaretur; tamen ista fallere non potuit suspicacem, & in ipsam iam mortem propendentem, diu antea ex sapientiâ animum, qui sciebat: *Non magno apparatu, aut exquisita molitione opus esse, vt corporis atq; animi infirmo vinculo cohærens societas dirimatur.* Itaq; tunc malum in dies ingrauescere: color, calor, vires & vita, labascere: deniq; lecto TILICIVM affigere, hoc est leto asignare. Morbi statim inualescentis principio, prima illi cura fuit Sacris, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, purgari, muniri, foueri mysterijs; sed & suis benè in abitu dicere.

Ego iam à vobis auellor ô filioli mei, aut abeo, & vestris precibus cupio iuuari. non quidem omnium vestrum, vt volui optatis respondi; sed PROVIDENTIAE *id tribuite & fato, cuius lege abeo. Deus ille Parens & Dominus omnium nostrum, quod non potui vobis suppleat, ac prosperet. Neq; dubitate, prosperabit, saltem illi cum timore & tremore seruite: Religionem auitam, à quâ saluâ omnia bona fluunt; neglectâ concidunt omnia, castè colite: probitatem re exprimite & factis: Patriæ & Reipublicæ prospicite. Quid plura? valete iam filioli mei, valete, & viuite concorditer in Ecclesiæ Catholicæ vestrum, & Patriæ bonum.* Hic iam quam olim cum Augusto εὐθανασίαν sibi exoptare consueuerat; liberum etiam in illâ necessitate, & intrepidum animum. vtrumq; votis accidit. nam aliquot tãtùm diebus summum hoc egit MORI, cum adiumenta sic vitæ priùs omnia, vt olim blandimenta spreuisset. Animi firmitudinem non ab humanis, aut mundanis, quorum neq; vllum omnino verbum fecerit, aut voluerit audire; sed à Diuinis perficiebat. illud toties ad verba viri incõparabilis Reueren. Sebastiani Nucerini Canonici Scarbimirien. magno spiritu subijciens: *Dñe* IESV, *qui auges dolorem, auge patientiam Christianam.* cuius & imaginem CRVCIFIXI sæpius dissuauiatus CHRISTE inquit, IESV PATER *mi, ne tantus tuus*

labor sit cassus, Sanguis ille tuus preciosus in Passione abundè effusus, in me deriuetur; & adsit mihi cum omni æternitate decertanti in hac horâ, à qua æterna salus animæ meæ dependet. Deniq; vno in pietatis actu piorum precibus incessabiliter expetitis ipse etiam (ægrè licet) ad pias supplicationes, iam fugientes vitæ vires, reuocare; etsi quispiam religiosè Psalmos Dauidicos recitasset, renidere ille, & in altum oculis manibusq; moribundus sublatis cum eo pergere, aut ipse piè precari, & perficere. Illa ipsa suprema sibi nocte tantâ fuit animi corporisq; tranquillitate, vt TILICIO patiente, alium ibi non loquentem, non querentem, non suspirantem torqueri crederemus, aut ipsum vitæ restitui. Sed enim immutabilem *Prouidentiæ* legem non fas mutari. sub exortum Solis, Idib. Quintil. Diuæ Margaretæ Virgini, & Maryri dicatis, Sol noster, & Margareta Regni, acceptis omnibus GRATIIS, & Indulgētiis, Sanctum, & Salutare NOMEN IESV voce non amplius reuocāda inuocans, & Spiritum DEO suo cōmendans feliciter è vitâ excessit.

Ah nobis infeliciter excessit Maximus Optimusq; virorum.

O dolor, ô lacrymæ adeste. voluptas, & lætitia abeste. qui vidistis, qui audistis, qui amastis, PETRVM TILICIVM; & quibus ille bene, fecit bene voluit.

Ferite

Ferite palmis pectora, & planctus date.

Occidit PETRVS TILICIVS Antistes, & Mystes diuinus. Dole Religio: luge Sarmatia: omnis Ordo Sexus, Ætas plãgite: mœre ACADEMIA: flete TILICII. Occidit Episcopus diligens, Senator prudẽs, Religionis propugnator, exemplar pietatis, præsidium pauperum, bonorũ columna, Mecœnas eruditorum, & quem, aut propter studium in Rempub. PATREM PATRIAE, sicut apud Romanos olim Fabios vel Camillos: aut propter mansuetudinem, & humanitatem DELICIAS GENERIS HVMANI, sicut inter Imperatores Titũ Vespasianum, vel Traianum: aut propter consilium MENTEM PATRIAE, sicut apud Troianos Æneam posſis cognominare. Occidit HEROS Magnus quem virtus nascentem excepit, doctrina natum excoluit, modestia supra æquales extulit: in cuius amore omnes boni inuidiâ frustra inuidente, conspirârunt: quem merita ad omnes dignitatis, & honoris gradus quos fas fuit mereri per genus suæ vitæ, aut mentem volentis, euexerunt. Sol ille Sarmatiæ olim in ortu Solis exortus, nunc in ortu Solis occidit. Eheu iacet ille qui te ô Polonia iacentem semper erigebat. dum

——— ——— *in omni tempore*
In munere omni Nestorem se præbuit
Linguâ atque mente.

Iacet

Iacet ex animis, qui tibi casu aliquo exanimatæ animum addere solebat. O Fata in hoc tali casu fanda, & ploranda! Sacrorum Princeps, Ecclesiæ: Senator, Reipub. occidit, qui domi forisque probauit suum ingenium, iudicium, eruditionem, candorem, liberalitatem, animi magnitudinem, prudentiam, sapientiam; in omnibus vt paucis dicam, TILICIVM, id est omnis perfectionis apicem, hominis Phœnicem, Rei literariæ Principem, virtutis Dictatorem. Sed quid ago? dum elogium orno, dolorem exulcero. laudibus lacrymæ cienter semel repressæ. Aliò verba flecto; & huc potissimum, vt seriò eum viuere discamus, quem lugemus? Absit ergo dolor. Etenim

Si fas viuendo Cœlestia scandere, cuiquam est,
Huic soli cœli maxima porta patet.

D. Paulus ad Tit. 1. & 1. Tim: c. 8. Pietate namq; in Deũ, amore in patriam, beneficẽtia in omnes, & illis quas Doctor noster in suo Antistite requirit, virtutibus, prudentiâ, doctrinâ, morum integritate, innocentiâ, fide, fideiq; propagandæ feruente studio, mansuetudine, iustitiâ, sanctitate, pudicitiâ, aliisq;, omnibus excellentibus, omnibus eximiis,

Innixus arces attigit igneas;

& abiectâ hac mortalitatis sarcinâ ad originem sui reuersus, viuit. viuit, & supra omnem inuidiæ nu-

bem

bem positus famâ fruitur, quam meruit, felicitate
quam quæsiuit. Non cum sumit quis animam, in-
cipit viuere, sed cum ponit, aut potiùs reponit. nam
quem nos vltimum vitæ diem vocamus, nouæ &
duraturæ natalis est; ideoq; sapiētissimo ritu Thra-
ces olim hominum dies *Natales* luctu, & eiulatu:
exequias gaudio, & alacritate prosecuti. Immorta-
les animæ liberum, & sine labe diem habēt in quie-
te, & illo puro Sereno, cum sine labe emigrârunt.
Habet noster TILICIVS. nam vitæ suæ iter rectè
iniuit, rectè peregit, & ex hac ad meliorem in Ca-
tholicæ religionis pio sensu, pio ritu, piè vt par est,
Sacramentis munitus placide abiit.

Absint inani funere næniæ
Luctusq; turpes, & querimoniæ.

Noster TILICIVS, non lugere, lætari nos iubet;
tametsi à leto: quia verè lætari, à leto ipse cœpit,
vti confidimus, & vouemus. Quare non lacrymas,
sed flores spargite, & tumulum TILICII hortulum
facite. cubent frigida ossa inter odorum suauitates.
Deniq; dicite. Vale, vale, vale PETRE TILI-
CI, qui nobis præiuisti, nos cum fatalis
noster dies venerit, læti
sequemur.

FECI & PLANXI.